



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

Tit. 13. De Ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiavit, & ab  
excommunicato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

quis ordinetur, censetur furtivè ordinem suscipere: & qui ordinatus fuerit non examinatus jubetur deponi, *can. ult. dist. 24.*

7. Attamen ab examine illo seu scrutinio excipit Trid. præsentatos, electos seu nominatos ab Universitatibus sive collegijs Generalium Studiorum, *Sess. 23. c. 13 de refor.* Quod tamen vedetur revocare, *Sess. 24. c. 18 de refor.*

## TITULUS XIII.

## De ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatu renuntiavit, &amp; ab excommunicato.

1. *Episcopus renuntians loco rectè confert ordines.*
2. *Renuntians loco & dignitati vò nisi minores conferre valet.*
3. *Pœna ordinati ab hujusmodi Episcopo.*

**D**iximus ante, quemlibet ordinandum esse à suo Episcopo vel ab alio, de ejus mandato aut licentia. Quia verò Episcopus, qui renuntiavit Episcopatu, desinit esse proprius Episcopus, excommunicatus autem, excommunicatione durante, suspensus est ab executione ordinis Episcopalis: ideo ne quis facilè decipiat in Ordinum susceptione, merito inquirendum nunc est, quid juris sit de eo, qui ab altero eorum ordinatus est.

1. Quod ad primum attinet, dicendum est, Episcopum, si renuntiaverit loco dumtaxat, rectè confert Ordines, ab aliquo Episcopo rogatum, sive minores, sive majores, quia manet Episcopus & quoad habitum & quoad exercitium. 2. Si vero renuntiavit loco & dignitati, quia remanet tunc solum Episcopus habitu, & privatur exercitio, ut colligitur ex *c. 1. Panor. ibidem h. tit.* Minores quidem conferre potest, quia etiam non Episcopus illos conferre valet, veluti Abbas: & ideo taliter promotus ad majores Ordines ascendere non prohibetur, modo idoneus sit. At verò sacros Ordines

seu Majores Episcopus talis conferre nequit: \* 3. adeo si quis ab eo sacrum Ordinem suscipiat sciens, characterem quidem accipiat, nò tamen in eo ordine ministrare possit, quia indignum se fecit Dixi, sciens, quia si ignoranter cum eodem, ut ministrare valeat, Episcopus rectè dispensat: sicut & cum eo qui ignorans ab Episcopo excommunicato Ordines accepit *c. 1. & 2. h. t. nisi ipsemet ordinaverit: nam eo casu, ne videatur dispensare super proprio defectu, tumus pontifex ad eundem est*

## TITULUS XIV.

## De ætate, &amp; qualitate, &amp; ordine præficiendorum.

## §. I.

## De ætate præficiendorum.

1. *Ætas requisita ad obtinendum beneficium.*
2. 3. *Episcopatum & alias dignitates.*
4. *Ad parochiale beneficium.*
5. *Ad Canonicatus.*
6. *Abbatissa non nisi quadragenaria eligenda:*

**I**nter ordinandos sive ordinatos, de quibus egimus quidam præficiendi sunt dignitatibus, veluti Episcopatibus, de quibus potissimum hoc Tit. tractat Pontifex vel certis Ecclesiis seu beneficiis, ex quibus adscripti militiæ clericali stipendia, quibus sustententur, percipere valeant cum non reneantur propriis stipendiis militare *cap. Exstirpanda § 1 de præbendis, can. Militare xxxii. q. 1.* In præficiendis verò spectanda & requisita est certa ætas, qualitas & ordo; de quibus nunc agendum est.

1. Et quidem quantum ad ætatem præficiendorum attinet, multa hic innovavit Conc. Trid. ex jure antiquo: nam eo jure ad obtinendum beneficium sufficiebat ætas septennii *cap. Nullus sup. de temporibus. ordin.* hodie requiritur ætas xv. annorum, Trid. *Sess. 2 cap. 6. de reformat.* falem inceptorum, Riccius in *Praxi decis. 392.* Alias minori facta collatio est nulla: nec potest Episcopus in hac ætate dispensare, *c. Non est compos sup. de temporib. ordinat.*